

Pius II. an die Bürger von Brixen, Bruneck und Klausen (Breve). Er fordert sie auf, die Abwesenheit des NvK weiterhin geduldig zu ertragen und lobt den unermüdlichen Einsatz des NvK für die Rechte und den Frieden seiner Kirche. Sie sollen NvK auch in dessen Abwesenheit treu zur Seite stehen.

Kopie (ca. 1460): BOZEN, StA, Codex Handlung (ehemals INNSBRUCK, TLA, Cod. 5911) f. 109^r-110^r.¹⁾

Regest: Jäger, Regesten I 318 Nr. 240.

Em.: Jäger, Streit I 351f.; Voigt, Enea Silvio III 348.

Pius papa secundus

Dilecti filii. Salutem et apostolicam benedictionem. Quamvis plene intelligamus vestris dilectionibus notas esse causas absencie dilecti filii nostri N. cardinalis sancti Petri ad vincula, episcopi vestri, a vobis et ecclesia sua Brixinensi, quam quidem et sibi et vobis omnibus scimus merito esse molestissimam, ex caritate tamen in vos nostra (et) ex animo vos hortamur, ut ipsam absentiam forti animo et constantia, sicut hactenus fecistis, tolleratis et feratis. Et ne vel ecclesie vel ipsi episcopo vestro dampnoso sit, totis nixibus adinventis propter necessitatem enim ecclesie ipsius, que vobis debet esse super omnia commenda-
data, ut scitis, absens sollicitudine mirabili institit, ut iusticie sue debitum consequeretur, eaque omnia, que ad pacem pertinent, miro studio et singulari industria perquisivit facturum. Quecunque honestas et ecclesie sue debitum posset tollerare, quemadmodum perspicit se omni divino et humano jure obligari. Neque per eum stetit, quominus pax perpetuo manserit et in multis tractatibus coram nobis habitis saltem redintegrata duraret.

Insuper, quia nobis est summe necessarius in iis rebus, que ad cardinalis pertinent officium peragendis his presertim temporibus, quibus, uti toti mundo notum est, in urgentibus fidei operibus insudamus, vestras dilectiones impensius in domino exhortamur, ut tamquam devoti ac fideles subditi plus etiam ipso episcopo vestro absente, quam si personaliter adesset, suis et suorum requisicionibus atque mandatis pareatis, non solum quia ex prestito juramento, cuius assidue debetis recordari, id facere obligamini, verum etiam, quia presulis vestri et ecclesie sue commoda vestris vobis propter honorem dei et bonam famam vestram debent esse cariora, quoque illa debetis omni diligencia integra manutenere neque ulli alteri forsitan per sinistras suasiones contra ipsa vos irritanti aut quoquomodo eidem episcopo detrahenti nec nunc nec in futurum umquam a bonorum et fidelium subditorum officio vel perverti vos sinere vel abduci. Quod quidem vos effecturos in domino plene confidimus et, ut faciatis, etiam cohortamur.

Datum Mantue sub annulo piscatoris anno a nativitate domini m^o cccc lx, die xxx mensis decembris, pontificatus nostri anno secundo.

Ja. Lucensis.²⁾ 25

14 presertim: *em.* persertim.

1) *Über dem Text:* Item s^{mus} d. n. scripsit anno lx die xxx decembris unum breve tenoris sequentis; et eiusdem tenoris mutatis mutandis scripsit civibus et communitati Brixinensibus, et similiter scripsit civibus et communitati in Brawnegg et in Clausen.

2) *Iacopo Ammanati Piccolomini, päpstlicher Sekretär.*